

teriæ, si quidem illa forma educitur, quæ in sui productione fit ut dependens a materia.

Respondetur negando quod materia recipiat esse immediate per creationem, sed mediante forma. Unde actio attingens materiam nunquam est creatio, sed concreatio, quamvis ut attingit materiam ex nihilo sit, ut a termino a quo, sed tamen non ponitur materia in esse, nec redditur producta ex parte termini ad quem, nisi ut conjuncta productioni formæ, sive concreatæ cum ipsa materia, si ipsum totum creetur, sive eductæ ex materia, si ipsum totum generetur, ut admissio casu quem affert argumentum de materia subrogata in speciebus eucharisticis, quando aliquid ex eis generatur. Itaque creatio absolute dat esse ipsi toti quod primo, et per se creat, partibus autem non dat esse seorsum, et secundum se, sed ut in toto, atque ita materiæ non tam dat esse, quam subesse formæ, seu dat esse dependentem a forma, tam ab illa sub qua creatur, quam a cæteris succedentibus per generationem, et loco prioris subrogatis. Et hoc non est creationem nihil facere, sed est dare esse materiæ, sed mediate, et dependentem a forma, non immediate in se, eo quod materia solum habet esse ut ens potentiale, et mediante forma actuabili ab existentia, sicut anima est operativa mediante potentia. Et quando producitur a Deo materia in instanti generationis ex speciebus eucharisticis, si talis productio fit per creationem, non fit per creationem absolute, sed dependentem ab educatione formæ, ita quod creatio subjiciat materiam formæ, et per eductivam actionem præbeat esse materiæ, quod per se non præbet, sed actio illa creandi conjungitur actioni eductivæ, ut per ipsam consummetur, et esse præbeat, sicut creatio animæ rationalis

in Christo non dedit ei subsistentiam, nec in sententia D. Thomæ existentiam, sed quoad hoc suppleta fuit, et consummata per assumptionem, quæ subsistentiam Verbi ei univit. Quod exemplum ostendit non repugnare quod una actio in aliquo esse dando consummetur per aliam.

XIV. Ad instantias autem allatas contra hanc responsionem, quod materia prima non accipit esse per creationem mediate, et dependentem a forma, sed immediate in se.

Ad primam jam responsum est ex nuper dictis.

Ad secundam dicitur, quod per quamcumque formam de novo advenientem accipit materia diversum esse, et amittit aliud quod habebat per aliam formam, non tamen corrumpitur aut generatur de novo, quia non amittit, nec acquirit ipsam entitatem potentialem, quam habet ad omnes formas, sed intra latitudinem formarum a quibus potest habere esse, transmutat causas formales, per quas conservatur in esse: non dicitur autem aliquid corrumpi, aut generari simpliciter per hoc quod transmutet esse, vel modum essendi, si utriusque est capax, sed si de novo accipiat esse, ita quod ante non fuerit, dicitur generari, seu produci; et si amiserit esse, ita quod aliud non accipiat, dicitur corrumpi, sicut in sententia S. Thomæ quod humanitas in Verbo non solum subsistat, sed existat, si humanitas mea assumeretur modo a Persona spoliaretur propria subsistentia, et existentia, nec tamen desineret esse, nec corrumpetur, quia subrogaretur alia loco illius eundem effectum faciens. Itaque materia per quamcumque formam potest existere, nec adæquate per istam determinatam existit, sed per quamcumque earum, quarum est capax existere potest. Unde mu-

tatio de una in aliam non est corruptio, seu desitio, et generatio, sed sub diversis existentibus, et formis continuatio. Et hoc ponit quidem transmutationem in materia, quia subjectum mutationis est, sed non corruptionem, et productionem ejusdem in sua entitate potentiali.

XV. Ad tertiam instantiam dicitur materiam pendere a solo Deo efficienter, quantum ad ipsum fieri, seu concreari ex nihilo, sed in facto esse pendere a forma, quia sic efficienter est a Deo quod fit ut subjecta, et dependens a forma, a qua in genere causæ formalis dependet. Agens autem naturale, licet introducat in materiam esse formale, et existentiam, quæ ad eam sequitur, non tamen dicitur producere materiam, aut conservare simpliciter, quia non est causa ipsius entitatis potentialis materiæ, nec ipsius concreationis ex nihilo, sed solum formæ, quatenus determinat, et communicat existentiam ipsi toti, et materiæ; et sic complet productionem ejus in esse, quantum ad determinationem existentiam, ipsam quippe indifferentiam, et capacitatem omnium formarum, quæ est entitas potentialis materiæ, agens naturale non producit, sed hoc a Deo est ipsi materiæ cum dependentia tamen a forma producta per agens naturale, ut complete, seu determinante esse sub quo determinate materia existit. Unde agens naturale non simpliciter producit, aut concreat materiam, sed complet, seu determinat quoad esse.

XV. Ad quartam dicitur, quod licet materia fiat dependens a forma, ut a determinante esse illius, non tamen ut a subjecto ex quo fiat, vel ut a termino a quo, et ideo talis dependentia non tollit, quin ex nihilo fiat, ut ex præsupposito; et tamen non redditur ex nihilo dependens,

sed dependet a forma. Videantur plura de his in physica qu. II, art. III.

Ad confirmationem diximus ibidem qu. IV, art. II, quod non est idem formam fieri dependentem a materia, et fieri per educationem: nam si Deus totam substantiam panis converteret in totam substantiam lapidis, forma lapidis esset dependens a materia, sed non tamen educta, sed ex conversione alterius facta. Et si Deus produceret accidens separatum, et postea illud uniret subjecto, faceret dependere, nec tamen educeret. Ad educationem ergo requiritur quod forma fiat dependens a subjecto per transmutationem materiæ, et reductionem potentialitatis ejus in actum, non per hoc quod fiat aliunde, et ei uniatur, etiamsi uniatur ei cum dependentia.

#### ARTICULUS IV.

*Utrum potentia creativa principaliter, vel instrumentaliter possit creaturæ communicari?*

I. Supponendum est tamquam certum de fide nullam creaturam de facto aliquid creare, vel creasse ut supra articulo primo ostendimus: hoc enim pertinet proprie ad omnipotentiam Dei, et virtutem illius infinitam, sicut dicitur Jeremiæ xxxii: *Ecce Domine tu fecisti cælum, et terram in fortitudine tua magna, et in brachio tuo extento*: et Isai. XLIV: *Ego Dominus faciens omnia, extendens cælos solus, stabiliens cælos, et nullus mecum*. Posuerunt tamen aliqui, ut Avicenna, quem citat S. Thomas hac quæstione XLV, art. V, quod licet creare sit proprie actio primæ causæ, tamen in virtute ejus potest aliqua inferior causa creare; et sic quod prima substantia separata

creat aliam post se, et substantiam orbis, et animam ejus, et substantia orbis creat materiam inferiorum corporum. Sensit etiam Arius quod Verbum Dei erat factum, ut ei deserviret ad faciendum omnia, tamquam instrumentum: et sic non convincebatur Verbum esse Deum, ex eo quod omnia sint facta per ipsum; et sic ipse non erat factus: dicebat enim omnia facta esse per ipsum tamquam instrumentum ut supra disp. XII, art. I vidimus. Cæterum hoc omnino fides catholica eliminat, et soli Deo tribuit creationem rerum, sine alicujus consortio, ut in locis allegatis Scripturæ dicitur. Unde inquit Athanasius serm. III contra Arianos, quod: « Condere, et creare solius Dei est, ejusque Verbi, et sapientiæ. » Et Augustinus III de Trinitate, cap. VI, dicit quod: « Neque Angeli boni, neque mali possunt esse creatores alicujus rei. »

II. Difficultas est, an de potentia absoluta possit communicari alicui creaturæ potestas creativa, vel per modum causæ principalis, ut instrumentalis. In qua communis theologorum sententia est, non posse dari creaturam, quæ nativa virtute, et ut causa principalis creare possit, contra Durandum in II, dist. I, qu. IV, qui affirmat id esse possibile, quia oppositum non ostenditur implicare. Et ideo totus labor est in reddenda ratione implicationis hujus. Circa instrumentalem vero causam creationis, sensit magister in IV, dist. V, capite ultimo, possibilem esse instrumentalem causam creationis: eumque secutus est D. Thomas ibidem qu. I, art. III, quæstiunc. III ad IV, et in II, dist. I, qu. I, art. III, et plures recentiores hoc ipsum defendere affirmat Vasquez hic disp. CLXXVI, c. I, in eamque ut probabilior tandem inclinatur Suarez in met. disp. XX, sect. III, et utrumque tam Suarez, quam Vasquez infe-

ficaces reputant rationes D. Thomæ tam ad probandum non posse dari creaturam, quæ nativa virtute creet, quam quæ instrumentali, idemque impugnat Molina super hanc quæstionem XLV, art. V, circa rationem probantem non dari causam instrumentalem creationis. Qui auctores in hac ratione impugnanda sequuntur Scotum in IV, dist. I, qu. I. Est tamen communis sententia non posse dari instrumentum creationis quam secutus est D. Thomas (priori relicta) in hac quæstione XLV, art. V, et ibi communiter ejus discipuli, Cajetanus et alii super istum locum; Ferrariensis II contra gentiles, c. XXI; Scotus loco citato, §. Ideo dicit potest; Richardus, et alii quos citat, et sequitur Vasquez citata disputatione CLXXVI, c. II. Nos ergo solum intendimus in præsentī implicationem utramque, tam de potentia nativa, et principali, quam de instrumentali, ad creandum, quam D. Thomas affert, defendere, et explicare.

IMPLICAT CREATURAM VI NATIVA  
CREARE.

Præcipuæ rationes quibus D. Thomas hanc implicationem concludit, reducuntur ad duas, quarum vim explicat in hac quæstione XLV, artic. V et II contra gent. c. XXI, et qu. III de potentia, art. IV.

Prima, quia actio creativa petit intrinsece, et essentialiter virtutem infinitam, si sit principalis causa creandi: ergo repugnat alicui creaturæ convenire.

Secunda, quia actio creativa est essentialiter prima, et universalissima actio influens per seipsum esse: ergo requirit virtutem primam, et universalissimam in principio creante: ergo nulli creaturæ convenire potest.

III. Prima ratio non habet difficultatem in consequentia sed in antecedente, unde videlicet deducatur quod virtus creativa debeat esse infinita. Licet enim virtus creativa si sit ita plena, et ampla quod respiciat totam collectionem entis creabilis, infinita esse debeat, tamen ad creandum unam tantum creaturam v. g. leonem ex nihilo cur ad hoc requiritur virtus infinita, cum effectus ipse finitus sit? Modus autem causandi, scilicet ex nihilo non videtur petere infinitatem in ipsa virtute sic producente, quia inter nihilum, et ens finitum non potest esse distantia infinita, quia non est major distantia quam quæ sit pertranseunda usque ad terminum distantia: terminus autem finitus, et limitatus est: ergo finita via attingibilis alias non esset major distantia a nihilo in Deum, quam a nihilo in creaturam.

Et confirmatur, quia non est intelligibile quod sit ejusdem virtutis creare formicam, et creare Angelum, vel totum universum. Hæc autem latitudo secundum quam majoris operis est una creatio, quam alia, oritur ex ipsa diversitate terminorum, et distinctione eorum specificæ: ergo creatio determinati effectus, et unius potius quam alterius, finita est, et sic non petit ex sua ratione infinitam virtutem vel operationem. Rationes ergo D. Thomæ quibus probat infinitatem hujus virtutis, quia infinita distantia est inter nihil, et aliquod esse, vel quia creatio est influxus universalissimus in esse, minus efficaces sunt, nec probant creationem cujuslibet effectus determinati petere infinitam virtutem, sed ad summum id petere creationem universalissimam, id est, virtus illa quæ fuerit creativa totius collectionis entis creabilis.

IV. Nihilominus solida, et cons-

tans est ratio D. Thomæ probatque efficaciter quamlibet creationem cujuscumque entis determinati, et particularis, hoc ipso quod nihil præsupponit ut agat, debere operari infinita virtute. Pro quo est advertendum quod infinitas potentia, seu virtutis potest pensari vel ex parte ipsius rei factæ in se, vel ex parte ipsius fieri, seu modi faciendi; res quippe facta in seipsa semper est limitata, et finita, imo tota collectio creaturarum quidditative considerata finita est in se. Sed tamen amplitudo virtutis, et potentia attenditur ex ipso, etiam modo faciendi, quatenus debet plura vel pauciora præsupponere ad operandum, et quanto plura præsupponit, minus universalis virtus est, quia ea quæ præsupponit, non efficit, si vero minus præsupponit, plus efficit; et sic magis ampla, et indifferens potentia est ad faciendum: atque adeo si nihil præsupponit, sed totum facit, universaliter operatur. Quare infinitas virtutis ad creandum non est pensanda ex limitatione, vel infinitate termini ad quem, qui producit, sed ex ipso fieri, et modo quo producit, et universalitate atque indifferentia quam supponit erga totum ens, hoc ipso quod unum ens facit ex nihilo: in hoc enim principio omnes conveniunt, quod virtus, seu potentia, quæ potest super omnem collectionem entis creati, est infinita. De hoc non est dubium: nec enim aliam majorem infinitatem habet potentia, et virtus divina in quantum virtus, nisi posse super totam collectionem entis creabilis. Subsumimus sub hac majori: Sed hoc ipso quod aliqua virtus ex sua formali, et propria ratione potest unum tantum ens producere ex nihilo, debet habere vim, et potentiam universalem, et indifferentem ad omnem collectionem entis creati: ergo debet esse infinita.

Minor, in qua est difficultas, probatur, quia virtus producentis, et agentis non habet amplitudinem, et universalitatem in agendo, vel determinationem et constrictionem solum ex limitatione termini producti in se, sed ex proportionem, vel impropotionem termini a quo ad terminum ad quem, et materiæ, seu materialium principiorum ad talem rem faciendam, quia cum terminus seu res producta, non quomodocumque fiat, sed ex aliquo termino unde educitur, seu reducitur ad esse, oportet quod in vincenda impropotionem, seu indifferentiam, et distantiam termini a quo ad terminum ad quem, attendatur major vel minor virtus agentis. Quod si ab uno termino a quo non sit major distantia ad unum terminum ad quem, quam ad alium, eadem virtus quæ potest vincere distantiam ad unum terminum, poterit vincere distantiam ad alium, si non sit major impropotionem, et difficultas in uno, quam in alio; sicut si unum agens potest vincere distantiam unius leucæ, ubicumque fuerit illa distantia cum simili difficultate itineris, et non alia, poterit illam vincere. Sed sic est quod ubi nihil præsupponitur ad operandum, est æqualis distantia, et difficultas ex nihilo ad quodcumque ens: ergo virtus quæ potest vincere distantiam, et impropotionem, ac difficultatem ex non esse ad aliquod ens, poterit vincere distantiam, et difficultatem ad quodcumque ens, quia non est major distantia, et difficultas ad majus ens, quam ad minus procedendo ex nihilo. Probatum minor, quia nihil est carentia negativa, et totalis omnis esse, et omnis entitatis: ergo in illo non datur major approximatio, et determinatio ad unum ens, quam ad aliud: ergo agens quod procedit ex nihilo, procedit ex termino a quo æque distante a quolibet ente, et a quolibet

esse, ergo ex vi illius non est magis factibile unum quam aliud ex tota collectione entis factibilis, quia ab omni ente factibili æque distat, cum æqualem carentiam habeat omnis entis factibilis, nempe puram negationem, nec habeat determinationem aut approximationem majorem ad unum quam ad aliud. Omne autem agens habet virtutem suam conformatam distantiam, et determinationem quæ versatur inter terminum a quo, et ad quem, unde educenda est forma, et similiter inter potentiam seu subjectum ipsum, et formam, quia inde sumitur proportio operandi, et ex proportionem major vel minor virtus. Ergo illa virtus quæ operatur, et producit aliquid ex nulla proportionem, sed ex puro nihilo, operari potest ex vi sua quodcumque ens, quia æqualis distantia, et impropotionem est inter nihil, et unum ens, atque inter nihil, et quodcumque ens; et sic virtus potens vincere distantiam, et impropotionem inter nihil, et aliquod ens, debet esse potens vincere distantiam, et impropotionem inter nihil, et quodcumque ens; et sic habere potentiam, et virtute super omne ens.

V. Dices: Non esse verum quod est æqualis distantia, et impropotionem inter nihil, et unum ens minimum, atque inter nihil, et ens maximum. Quis enim capiat non esse majorem distantiam inter nihil, et cælum, seu Angelum, aut totum universum, quam inter nihil, et granum milii? Hoc enim videtur esse contra ipsum lumen rationis, atque adeo fundamus in re valde dura conclusionem nostram, scilicet quod ad creandum ex nihilo quodcumque ens, necessaria sit infinita potentia, et quod sit distantia tanta, et tam infinita inter nihil et formicam, quam inter nihil et totum universum.

Cæterum hæc responsio procedit ex infirmitate imaginationis, quæ a generatione rerum paralogizat ad creationem ex nihilo: ut enim fiat granum milii, vel formica ex præparationem, et apparatu eorum quæ requiruntur ad sui consistentiam, sicut fit per generationem vel artem, et ut fiat cælum, vel totum universum ex præparationem, etiam materiæ, et eorum quæ requiruntur ad ejus compositionem, omnino esset præposterum omni lumini rationis, tantum apparatus, et distantiam requirere ad unum effectum quantum ad alium. Cæterum in agente ex nulla præparationem, et apparatu materiæ, sed producente totum, etiam est contra ipsum lumen rationis restringere, et coarctare ejus potentiam ad unum determinatum ens, potius, quam ad aliud, supposito quod operatur, nihil præsupponendo, sed totum operando.

Et ratio id manifeste convincit, quia ubi nulla præparatio vel apparatus materiæ præsupponitur, non determinatur agens ad tantum vel tantum effectum producendum ex aliquo extrinseco, seu ex passo super quod operatur ejus virtus si quidem nullum tale passum vel materia datur: ergo quod operetur granum arenæ, vel operetur cælum, aut totum universum, non est ex dispositionem materiæ, sed ex mera voluntate, et determinationem ipsius agentis: ergo oportet quod ista virtus de se sit universalissima, et indifferentens ad totum ens; si quidem ab extrinseco passo, vel materia non determinatur, ut tantum vel tale ens producat, nec in ipso nihilo est major distantia, aut impropotionem ad multum quam ad paucum, ad magnum quam ad parvum, cum totius entis parvi, et magni sit pura carentia, et negatio; et sic non habet majorem coaptationem aut determinationem erga unum, quam

erga aliud. Ab intrinseca autem rationem ipsius agentis non potest accipi ista coarctatio, et determinatio ad creandum unam speciem tantum entis, et non aliam, quia ratio operandi in agente non potest habere pro formali rationem operandi ipsam speciem, et ad eam determinari, et coarctari, si primo, et per se operatur ex nihilo, quia sic oportet quod primo, et per se etiam operetur rationem genericam, non solum quatenus est contenta in specie, sed per se, et directe, quia non præsupponit illam, sed per se facit: ergo non est factiva primo, et per se, et in quarto modo speciei, seu rationis specificæ, sed etiam rationis genericæ, imo et rationis generalissimæ entis, quia illud per se facit, quod per se non supponit, per se autem nihil supponit; ergo per se etiam genus facit, ut magis ponderabitur in secunda rationem. Et deinde, quia omne agens in sua extrinseca virtute commensuratur proportionem, et distantiam vincendæ inter terminum a quo et terminum ad quem, si quidem ad ejus rationem, et virtutem pertinet non solum respicere terminum ad quem quomodocumque, sed ut ex tali termino a quo faciendum, quia agens non solum respicit terminum, sed viam, qua res facienda est, et consequenter distantiam ac proportionem, quæ est inter terminum a quo, et ad quem: hæc enim est via ex uno ad alium. Ab isto autem termino a quo, qui est nihil, tanta indifferentiam, et impropotionem, seu distantiam est ad unum terminum, seu ens creatum, quam ad aliud, et æque indifferenter se habet ad hoc, quam ad illud, cum sit pura negatio omnium, nec ex pura negationem possit duci, et inchoari via magis ad hoc determinatum ens, quam ad aliud, sed solum ad quodlibet ens, quia nihil supponitur de ente, neque in potentia, neque in actu, sed to-

tum fit. Ergo inter istos duos terminos, nihil ex parte termini a quo, aliquid ex parte termini ad quem, nulla est determinata proportio, et distantia ad hoc determinatum ens potius quam ad illud, ad parvum quam ad magnum. Ergo si virtus agentis in sua perfectione, et ratione conformatur distantiae vincendae et pertranseundae a termino a quo ad terminum ad quem, si ista distantia est ita indifferens, et indeterminata ad omne ens, etiam et ipsa virtus indifferens debet esse ad omne ens. Unde si ex tali termino a quo procedit aliquod ens, æque bene potest quodlibet producere, quia ad quodlibet indifferens est; et sicut terminus a quo est indifferens per negationem, ita efficiens per positionem, non potentialitatis, quia non est materia, sed actualitatis, quia est efficiens, et consequenter est indifferentia universalitatis super omne ens.

VI. Denique distantia, seu improprio inter nihil et ens, quodcumque illud sit, non regulatur penes magnum vel parvum, magis vel minus ipsius rei productae, ut quod sit granum milii, vel cœlum integrum, sed penes hoc quod terminus a quo distat ab omnibus prædicatis inclusis in re producenda, et nullum eorum supponat, sed omnia faciat: in hoc enim terminus a quo, qui est nihil, æque distat a grano milii, et a toto cœlo, quia etiam in grano milii, et in arena terræ includuntur sua prædicata a genere supremo, et ab ente usque ad individuationem, sicut includuntur in reliquis entibus, licet illud granum sit minoris quantitatis. Unde si ad producendum unum granum, et formicam, proceditur ex nihilo, oportet quod nullum ex illis prædicatis supponatur, sed omnia fiant, et similiter si fiat cœlum, et fiat Angelus, nullum ex prædicatis ejus communibus vel

particularibus supponitur, sed omnia fiunt: ergo quoad ipsam substantiam rei faciendam tantum distat a nihilo granum milii, quam totum cœlum, licet hoc in quantitate excedat, quia nullum prædicatum etiam commune, et genericum fit in uno, quod non fiat in alio, et hoc per se primo, quia non solum fit prædicatum genericum ut contentum, et identificatum cum specifico, et ratione specifici, sed per se, et ratione sui fit, quia per se non præsupponitur gradus genericus, cum nihil supponatur: ergo per se fit. Si autem per se fiunt prædicata communia, et generica, non minus quam particularia: ergo agens quod habet virtutem faciendi per se gradum illum, et prædicatum genericum, debet habere virtutem ad faciendum quodcumque prædicatum specificum sub genere contentum, quia ejus virtus non specificatur, et determinatur ex specifico prædicato, sed universalior est, utpote tangens generalem rationem communem, et per se faciens illam: ergo non est coarctatum ad unam speciem: ergo si non solum gradum genericum, sed etiam analogum, quod est gradus entis, per se facit, ad omnia sub ente factibili contenta universalitatem habet, quod est comprehendere, et respicere omne ens factibile, et virtus respiciens omne factibile infinita est; quod amplius ex sequenti ratione manifestum erit.

VII. Secunda ergo ratio, seu principium probans impossibile esse quod virtus aliqua creata, sit per se creativa ex propria, et nativa virtute, tamquam causa principalis, participata tamen a Deo, est quia actio creativa est universalissima, et influens ipsum esse quarto modo per se: nulla autem virtus creata potest esse prima, et universalissima in influendo esse. De hac au-

tem propositione, quod esse est proprius, et per se primo effectus Dei, plura diximus præcedenti tomo, disp. VIII, art. II, quæ hic præsupponenda sunt. Modo solum oportet videre, quomodo creatio respiciat esse existentiae, non pro ut tale, vel tale, v. g. prout esse hominis, vel leonis, vel lapidis, sed absolute secundum omnem generalitatem ipsius esse, et secundum talem influxum in esse quod per solam suspensionem ejus, res annihilabitur nulla entitate, aut esse remanente, neque in actu, neque in potentia. Ex hoc enim deducuntur duo.

Primum, quod creativa potentia debet attingere omnem rationem entis in effectu non prout continetur in hac, vel illa ratione specifica, seu particulari, sed secundum generalem rationem entis; et sic ad omne ens creabile debet extendi.

Secundum, quod ad creandum ex parte agentis ipsa virtus, seu forma agendi est ipsa existentia, quod nulli creaturæ convenire potest. Explicatur hoc. Nam unumquodque agens illud per se, et directe efficit in aliquo effectu, quod non supponit, nec alteri causæ remittit, a cujus concursu dependet, ita quod licet plures causæ concurrant ad aliquem effectum, tamen unaquæque efficit per se primo aliquid, quod ei particulariter correspondet, universalior quidem causa efficiendo id quod universalioris rationis est in effectu, particularis vero id quod particulare est, unaquæque secundum propriam rationem suam: semper enim universaliores effectus, et qui ad plura se extendunt, universalioribus causis correspondent. Unde unaquæque causa quanto magis particularis, et determinata est, tanto magis dependet a causis superioribus, et omnes causæ creatæ a Deo, et ista subordinatio, et dependentia tam essentialis, et per se

est in causis particularibus, et determinatis, sicut est essentielle in effectibus habere diversa prædicata, secundum quæ correspondet diversis causis, sicut ignis qui generatur correspondet igni generanti secundum rationem determinatam, et particularem suæ speciei: sic enim fit ab igne, et non ab alio agente, et secundum rationem corporis correspondet cœlo, et secundum rationem entis Deo. Et quia Deus producit sub ratione ita universali, et communi, ipse solus sufficit dare esse effectui absolute, et simpliciter, aliæ vero causæ dant esse ex virtute ipsius, et participando ab ipso hoc quod est causare. Illa ergo causa dicitur causare esse per se primo, et tamquam proprium effectum, quæ in aliquo effectu causat totum quod pertinet ad esse, et omnia prædicata, quæ quomodocumque esse participant, ita quod de eo quod est esse, nihil supponat ab alia causa attactum, sed totum faciat, quia si aliquid supponit, vel alteri causæ remittit, et ei correspondet, jam non simpliciter, et absolute facit esse, sed solum aliquam particularem rationem essendi. Esse ergo in quacumque re est proprius effectus Dei, scilicet esse simpliciter, esse ut comprehendit omnia prædicata, esse non secundum aliquam particularem rationem essendi, aut secundum aliquem gradum illius entis, sed secundum omnes; et sic ab universali influxu derivari dicitur, quatenus fit ab agente quod nihil de illo esse supponit, sed totum facit, et si aliqua alia causa dicitur cum illo agere, est quia hæc causa participat ab illo hoc ipsum quod est causare; et sic dicitur quod per se primo est effectus talis agentis, quia in tantum est effectus in quantum fit, et non supponitur, et si quoad omnia fit, et quoad nihil supponitur, sic per se,